Al muy Rdo Pe nro Pe
Fray Juan de Jesus ma
Prepósito General de la Carme
litana de los Descalzos de la congrega
cion de Italia Flandes en Roma
en la Madona de la Scala

3


REGVLA PRIMITIVA


ET CONSTITVTIONES FRATRVM DISCALCEATORVM CONGREGATIONIS S. ELIAE ORDINIS B. VIRGINIS MARIAE DE MONTE CARMELO.

Sanctae Mariae de Scala









Ex Legato Illustriss: Foccini.

ROMAE Ex Typographia Gulielmi Facciotti
MDCXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur. Cęſar Fidelis Viceſgerens.

Imprimatur. Fr. Damianus à Fonſeca Mag. & ſocius Reuerendiſs. P. F. Ludouici Yſtella Sacri, & Apoſtolici Palatij Magiſtri, Ordinis Prędicatorum.

REGVLA PRIMITIVA ORD. Beatiſsimę Virginis Marię de Monte Carmelo

A B. ALBERTO PATRIARCHA Hieroſolymitano tradita,

ET AB INNOCENTIO IIII. confirmata.



LBERTVS, Dei gratia Hieroſolymitanæ Eccleſię vocatus Patriarcha, dilectis filijs Brocardo, & cæteris Fratribus eremitis, qui ſub eius obedientia, iuxta fontem Eliæ, in monte Carmeli morantur; in Domino ſalutem, & ſancti Spiritus benedictionem. Multifariè, multiſque modis ſancti Patres inſtituerunt, qualiter quiſque in quocumque ordine fuerit, vel quemcumque modum religioſæ vitæ elegerit, in obſequio Ieſu Chriſti viuere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & conſcientia bona deſeruire. Verùm, quia requiritis à nobis, vt iuxta propoſitum veſtrũ tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in poſterum debeatis:

DE PRIORE HABENDO & tribus sibi promittendis.



LLVD in primis statuimus, vt vnum ex vobis habeatis Priorem, qui ex vnanimi, omniumque assensu, vel maioris, & sanioris partis, ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare, cum castitate, & abdicatione proprietatis.

De receptione locorum.

LOca autem habere poteritis in eremis, vel vbi donata vobis fuerint, ad vestrę religionis obseruantiam apta, & commoda, secundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire.

De Cellis Fratrum.

PRæterea, iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum sin-

gulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis, eædem cellulæ cuique fuerint assignatæ.

De communi refectione.

ITa tamen, quòd in communi refectorio, ea, quæ vobis erogata fuerint, communiter aliquam lectionem sacræ Scripturæ audiendo, vbi commodè poterit obseruari, sumatis. Nec liceat alicui Fratrum, nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare. Cellula Prioris sit iuxta introitum loci, vt venientibus ad eundem locum, primus occurrat, & de arbitrio, & dispositione ipsius, postmodum, quæ agenda sunt, cuncta procedant. Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas, die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, nisi alijs iustis occasionibus occupentur.

De Horis Canonicis.

HI, qui Horas Canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant, secundùm constitutionem Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem.

Qui eas non nouerint; vigintiquinque vicibus Pater noſter dicant in nocturnis vigilijs, exceptis Dominicis, & ſolemnibus diebus, in quorum vigilijs, prædictum numerum ſtatuimus duplicari, vt dicatur Pater noſter vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in Laudibus Matutinis. In alijs quoque Horis, ſepties ſimiliter eadem dicatur oratio ſigillatim, præter officia veſpertina, in quibus ipſam quindecies dicere debeatis.

De non habendo proprium.

NVllus Fratrum ſibi aliquid proprium eſſe dicat: ſed ſint vobis omnia communia, & diſtribuatur vnicuique per manum Prioris, vel per Fratrem ab eodem ad idem officium deputatum, prout cuique opus erit, inſpectis ætatibus, & neceſſitatibus ſingulorum.

Quod licet habere in communi.

ASinos autem, ſiue mulos, prout veſtra expoſtularit neceſſitas, vobis habere liceat, & aliquot animalium, ſiue volatilium ad nutrimentum.

De Oratorio, & cultu diuino.

ORatorium, prout commodiùs fieri poterit, conſtruatur in medio cellularum, vbi manè per ſingulos dies, ad audienda Miſſarum ſolemnia conuenire debeatis, vbi hoc commodè fieri poteſt.

De Capitulo, & correctione Fratrum.

DOminicis quoque diebus, vel alijs, vbi opus fuerit, de cuſtodia ordinis, & animarum ſalute tractetis: vbi etiam exceſſus, & culpæ Fratrum, ſi quæ in aliquo deprehenſæ fuerint, charitate media corrigantur.

De Ieiunio Fratrum.

IEiunium ſingulis diebus, exceptis Dominicis obſeruetis, à feſto Exaltationis ſanctæ Crucis, vſque ad diem Dominicæ Reſurrectionis, niſi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia iuſta cauſa ieiunium ſolui ſuadeat, quia neceſſitas non habet legem.

De abſtinentia carnium.

Ab eſu carnium abſtineatis, niſi pro infirmi-

tatis, vel debilitatis remedio ſumantur. Et quia vos oportet frequentiùs mendicare itinerantes, nè ſitis hoſpitibus onerosi, extra domos veſtras ſumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus: ſed & carnibus ſupra mare veſci licebit.

Exhortationes.

QVia verò tentatio eſt vita hominis ſuper terram, & qui piè volunt viuere in Christo, perſecutionem patiuntur: aduerſarius quoque veſter diabolus, tanquã leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, omni ſollicitudine ſtudeatis indui armatura Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias inimici. Accingendi ſunt lumbi veſtri cingulo caſtitatis, muniendum eſt pectus cogitationibus ſanctis. Scriptum eſt enim: Cogitatio ſancta ſeruabit te. Induenda eſt lorica iuſtitiæ, vt Dominum Deum veſtrum, ex toto corde veſtro, & ex tota anima veſtra, & tota virtute diligatis, & proximum veſtrum tanquam vosipſos. Sumendum eſt in omnibus ſcutum Fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Sine Fide enim impoſſibile eſt placere Deo. Galea quoque ſalutis capiti imponenda eſt, vt de ſolo Saluatore ſperetis ſalutem, qui ſaluum facit populum ſuum à peccatis eorum.

rum. Gladius autem ſpiritus, quod eſt verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus veſtris: & quæcumque vobis agenda ſunt, in verbo Domini fiant. Faciendum eſt vobis aliquid operis, vt ſemper diabolus inueniat vos occupatos, nè ex ocioſitate veſtra, aliquem intrandi aditum ad animas veſtras valeat inuenire. Habetis in hoc, beati Pauli Apoſtoli magiſterium pariter, & exemplum, in cuius ore Chriſtus loquebatur, qui poſitus eſt à Deo prædicator, & Doctor gentium, in fide, & veritate, quem ſi ſecuti fueritis, non poteritis oberrare. In labore (inquit) & fatigatione fuimus inter vos, nocte, & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus: non quaſi nos non haberemus poteſtatem, ſed vt noſmetipſos formam daremus vobis, ad imitandum nos. Nam cùm eſſemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniam ſi quis non vult operari, non manducet. Audiuimus ènim, inter vos quoſdam ambulantes inquietè, nihil operantes. His autem, qui huiuſmodi ſunt, denunciamus, & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto, vt cum ſilentio operantes, panem ſuum manducent. Hæc via ſancta, & bona, ambulate in ea.

De Silentio.

COmmendat autem Apostolus silentium, cùm in eo præcipit operandum. Et quemadmodum Propheta testatur: Cultus iustitiæ silentium est. Et rursus: In silentio, & spe erit fortitudo vestra. Ideoque statuimus, vt dicto Completorio, silentium teneatis vsque ad Primam dictam sequentis diei. Alio verò tempore, licet silentij non habeatur obseruantia tanta, diligentiùs tamen à multiloquio caueatur. Quoniam, sicut scriptum est, & non minus experientia docet: In multiloquio peccatum non deerit. Et qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Item qui multis vtitur verbis, lædit animam suam. Et Dominus dicit in Euangelio: De omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die Iudicij. Faciat ergo vnusquisque stateram verbis suis, & frænos rectos ori suo, ne fortè labatur, & cadat in lingua sua, & insanabilis sit casus eius ad mortem, custodiens cum Propheta vias suas, vt non delinquat in lingua sua, & silentium (in quo cultus iustitiæ est) diligenter, & cautè studeat obseruare.

Exhor-

Exhortatio Prioris ad humilitatem.

TV autem Frater Brocarde, & quicumque post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente, & obseruetis in opere, quod Dominus ait in Euangelio: Quicumque voluerit inter vos maior fieri, erit minister vester: & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.

Exhortatio Fratrum, vt Priorem suum honorent.

VOs quoque cæteri Fratres, Priorem vestrum honorate humiliter, Christum potius cogitantes, quàm ipsum, qui posuit ipsum super capita vestra. Et Ecclesiarum Præpositis ait: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: vt non veniatis in iudicium de contemptu, sed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem. Hæc breuiter scripsimus vobis: conuersationis vestræ formulam statuentes, secũdum quam viuere debeatis. Si quis autem supererogauerit, ipse Dominus, cùm redierit, reddet ei. Vtatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix.

FINIS.

Conſtitutiones Fratrum Diſcalceatorum Congregationis Sancti Eliç Ordinis B. Virg. Mariæ de Monte Carmelo.

PROLOGVS.

De Instituti noſtri ratione.

1 
VANQVAM vniuerſi, quos æternæ fęlicitatis tenet deſiderium, in opera charitatis incumbunt; quia tamen charitatis actus duplex eſt, amor nimirum Dei, ac proximi; ſancta Mater Eccleſia filiorum ſuorum ſtudia in duas claſſes diſcreuit, è quibus vna Deo ſoli vacaret, altera proximo propter Deum inſeruiret.

2 Noſtræ verò Religioni duplex bonum hoc, ordine ſeruato, diuinitus collatum eſt, vt potior eius pars eſſet rerum diuinarũ contemplatio, & amor; poſterior autem eſſet actio, ea præſertim, quæ ad proximorum ſalutem pertinet.

3 Quam vitæ rationem ex Dei, & proximorum

morum amore compositam, Patres nostri Elias, & Eliseus, non scripto, sed rebus gestis instituerunt, & posteris obseruandam tradiderunt.

4 Quam etiam, apparente Euangelij luce, tantorum Patrum filij in oriente imitati sunt; parique animi magnitudine in occidente clarissimi sancti Angelus, Albertus, Petrus Thomas, Andreas Fesulanus; alijque multi exercuerunt.

5 Et quamuis ad eam vitæ rationem explendam, Regula nostra quid fieri oporteat aptè tradiderit; quia tamen breuis admodum est, & eâ expressè tradi non potuit, quod ad euentus singulos, ętates singulę, moresque requirunt, nonnullas Constitutiones multis experimentis probatas, Regulæ ipsi consentaneas, in Generalibus Capitulis Religio nostra sanciuit, quæ in tres partes diuiduntur.

In prima quippè agitur de actibus ad mores attinentibus.

In secunda de diuersorum Conuentuum institutione.

In tertia de gubernatione, quæ prædicta cuncta tuetur.

PARS

PARS PRIMA CONSTITVTIONVM

De Communioribus totius Congregationis actibus ad mores attinentibus.

Cap. I. De Obedientia.

1 
Otius monasticæ disciplinæ basis obediētia est, qua Religiosus in statu proprio constituitur, & ad christianam perfectionem comparandam promouetur.

Quapropter Fratres nostri, vt obedientiæ voto, trium solemnium præstantissimo perfectè satisfaciant, partes obseruantiæ totius, quę obedientiæ amplitudine comprehenditur explorent, ac obseruēt.

3 Huiusmodi vero partes sunt, Regula, Constitutiones, Ordinarium, Manuale, Instructiones, & viuæ vocis quotidiana mandata, quorum discrimina, & obligandi vim à veris Religiosis ignorari non decet.

4 Regula quippe, exceptis votis, & officio diuino ibi contentis, ad culpam tantùm

venialem obligat. Constitutiones autem, Ordinarium, Manuale, Instructiones, & viuæ vocis mandata non ad culpam, sed ad pœnam impositam, vel à Superiore imponendam obligant, nisi contemptus adsit, aut contrarium eius, quod statuitur ex natura sua, aut aliunde culpa sit.

5 Sola trium votorum solemnium, & quarti de non ambiendo grauis transgressio, & officij diuini omissio mortalis est: obedientiam autem, tunc solummodo quis grauiter transgreditur, cum ea, quæ per scriptum sub formali præcepto, vel censura iubentur, non obseruat.

6 At Religiosi veri, licet hæc obligationis discrimina, explorata habere debeant; sic tamen erga Superiores Christi vicem gerentes, affici debent, vt quidquid ab eis, seu scripto, seu verbotenus iniungitur, ea mente perficiant, quasi omissio, vel repugnantia mortalis esset.

7 Quam obedientiæ perfectionem vt acquirant, præcipimus, vt ad communes actus signo conuocati, sedulo conueniant, & officia quæuis per communem tabulam eis iniuncta perficiant, litterasque sine Superioris eas partim saltem lecturi concessu, nec mittant, neque recipiant.

8 Præcipimus deinde, vt nihil quamuis minimum, etiam ad corporis refectionem, cuius-

cuiusmodi est aquæ potus, præter communes horas; vel ad animæ alimoniam, cuiusmodi est Eucharistię Sacramentum, præter designatos cunctis Fratribus dies, sine Superioris venia sumant. Quod & in rebus ad vestitum, & libros, totamque claustri disciplinam pertinentibus obseruari præcipimus, vt satisfiat Regulæ dicenti: Et de Superioris arbitrio postmodũ, quæ agenda sunt, cuncta procedãt.

Cap. II. De Castitate.

1 BEatissimæ Virginis filios singulari decet castitate nitere; quæ licet in corde sedem habeat, externam sensuum custodiam quoque requirit.

2 Quamobrem Fratres nostri, & motus internos, & sensus externos, oculos præsertim, ita moderentur, vt nihil non castum patiantur, aut præ se ferant.

3 Familiaritatem mulierum etiam pudicarum vitent: cũq; Dei oculis omnia nuda, & aperta sint, eas alloquuturi ita modestè se gerant, ac si in Ecclesia ipsa cum populi frequentia versarentur.

4 Vt autem ab omni specie mali huius abstineant, præcipimus vt foras prodeuntes bini, ac indiuidui procedãt, ne aliquod ex separatione periculum immineat.

5 Cum vero mulieres foris alloquuntur, ostium

ostium loci pateat, vt socius alter, si velit, alterum facilè videre possit.

6 Si quis autem (quod Deus auertat) quippiam parum castum commiserit, si occultum sit, & spes emendationis adsit, statim socius illum secreto corripiat.

7 Si tamen facta correptione videat se non profuisse, aut ante factam, re prudenter expensa, non credat se profuturum; reuelet culpam alicui, quem profuturum existimet, quo deficiente, reuelet Superiori pio, ac prudenti, cuius consilia efficaciora sunt.

8 Si tamen sæpe, aut semel tantùm labentem, sed vno lapsu bono Religionis nomini nocentem videt, Superiori tanquam patri, aut pro qualitate culpę, quasi iudici deferat, vt subditi lapsi salutem quęrat, & bonum Religionis nomen sublatum restituat.

Cap. III. De Paupertate.

1 VT Redemptorem nostrum, qui cum esset diues, egenus propter nos factus est, Fratres nostri perfectiùs imitentur; præcipimus, vt bona omnia sint omnibus communia, & sub nullo prætextu rem aliquam etiam minimam, tãquam propriam vllus possideat, vel suo tantum vsui domi, forisue reseruet.

2 Domus nostræ, quæ missionibus destinatæ non sunt, in vrbibus, vel oppidis ma-

gnis sitæ, frui nequeant vllis proprijs redditibus nisi in casibus §. 4. ponendis. Nomine autem reddituum intelligimus etiam prædia, siue possessiones frugiferas, & quodlibet aliud stabile etiam frugiferum, præter hortos competentes, aut stabile aliud, sine cuius possessione Fratres in Conuentibus, quiete, & sine subiectione viuere non possunt; aut stabilia alia, quę non sint redditibus percipiendis destinata, quamuis nonnihil emolumenti inde proueniat: quæ omnia à Definitorio prouinciali iudicentur.

3 Si in oppidis paruis, vel extra vrbes, & oppida Conuentus nostri fuerint, Præpositus, ac Definitores generales, re maturè considerata, solius necessitatis rationem habentes, concedere poterunt, vt aliquis ex ijs Conuentibus redditus habeat.

4 Conuentus nostri omnes pro Missis, alijsue functionibus pijs annuos redditus moderatæ quantitatis recipere possint: qua in re si dubium oriatur à Definitorio prouinciali decidetur. Præcipimusque vt in publico instrumento fiat pactum expressum, vt si fructus integrè non percipiantur sine culpa ex parte nostra, pro rata solummodo Missas dicere teneamur, & ad nihilum, si nihil percipiatur. Quòd verò ad quotidianarũ Missarũ numerũ attinet, nõ recipiant plures eleemosynas quã eas, quibus breui satisfieri possit, nec eam, quæ

quæ cito consumatur sub onere perenni relicto; aliàs pactio quæuis super hoc nulla sit.

5 Si verò bona immobilia, census, aut redditus alicui Conuentui quouis iure obuenerint, Prior nec vendere, nec alienare valeat, nisi de cõsensu Definitorij prouincialis, quod juxta Summ. Pontif. concessiones, & priuilegia ea bona distribuere, vel alicui loco tribuere poterit, prout ei in Domino videbitur expedire.

6 Ne Fratres nostri pia opera contemnere videantur, quasi conscientia coacti, ratione hereditarij iuris legatorum, aut rerum testamento, aut quouis alio modo relictarũ, de consensu Capituli conuentualis litem mouere possint, quod per sęcularem procuratorem semper fiat. Statim verò Prouincialem certiorem faciant, cuius mandato litem cœptam prosequantur, vel ab ea abstineant. Prouincialis autem in proximo Definitorio prouinciali rem totam pertractet, ac iuxta ipsius Definitorij decretum vlterius in lite procedatur, vel ab ea desistatur. Similiter quando ab alijs lis mouetur, ius Religionis, vt obligationi satisfaciant, Fratres nostri modestè poterunt defendere.

7 Bona omnia Conuentus in communes officinas reponantur, & asseruentur: & inde ministri à Superiore designati inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum, ac de

Superioris ipsius venia, vnicuique necessaria prouideant: sine Superioris autem venia nullus quippiam recipiat, vel reseruet, aut vlli donet, vel cum sæculari, aut etiam Religioso permutet.

8 Omnia ex officinis deprompta, & Fratrum vsui semel attributa, Superior ad nutum auferre, ac permutare valebit; qui superuacanea quæque, & elaborata in Monasterio pauperum esse non permittat; eiusmodi quippè omnia præsertim aurea, argentea, vel ex materia qualibet pretiosa, etiam deuotionis gratia Religiosis omnibus prohibemus: Fratres verò, simulac rerum vsu non eguerint, in communes officinas reponent. Qui autem hac in re culpam commiserit pœnam mediam feret.

9 Singulorum Fratrum cellę sic instruantur; lectus fiet ex corticibus arborum, seu ex tabula vna, vel pluribus, latus circiter quatuor, altus duos fere palmos, qui duas vel tres tantùm lodices nullo artificiali colore tinctas, & puluinum laneum lana plenum habebit. Infirmis verò permittitur aliquod stramentum. Mensa sit inelaborata, & apta libris necessarijs sustinendis, quibus si forte non sufficiat, fulcimentum aliquod ligneum impolitum concedatur; sedile verò sit ligneũ, aut paleis, vel herbis textum. Potissima vero supellex sit Crux, & aliquæ Imagines ex charta

ta, ad excitandum affectum opportunæ.

10 Quia verò tam modica supellex, & nullius propria, custodia vlla inter domesticos, nisi ab extraneis non eget; arcas, & capsas omnes obseratas, & cellarum claues Fratribus prohibemus. At commune aliquod instrumentum, quo cellæ sæcularibus clausæ à Fratribus communiter claudi, aperirique possint, in morem volumus induci, vbi opus esse Prouinciali videbitur.

11 Præpositus autē, Definitores generales, Prouinciales, Procurator generalis ad suarū functionum scripta, singulorum Conuentuum Procuratores ad communium expensarum nummos seruandos, paruam capsam obseratam, Priores vero in arca trium clauium conditam arculam ad officij sui litteras, epistolasque secreto dignas reponendas habere possint. Alij vero Religiosi, sub nullo prætextu etiam pio, pecuniam vllā, putà vt eam restituant, aut in eleemosynas distribuant, apud se retinere possint, sed eam in arca triū clauium asseruandam deponant, vel Priori seruandam tradant, res item alias sibi creditas in communibus officinis custodiendas deponant.

12 Nullus, etiam charitatis obtentu eleemosynam alijs, etsi parentibus, aut germanis Fratribus erogandam vltra vnum aureum sine venia Definitorij Prouincialis postulet;

ad eam vero quantitatem Prior Conuentus veniam poterit impertire. Hac vero Constitutione eleemosynas à cōcionatoribus è pulpito postulari solitas non prohibemus, dummodo pro necessitatibus nostrorum Conuentuum nihil postulent.

13 Si quis, (quod nunquam fore in Domino speramus) de proprietatis culpa conuincatur, per annos duos iuxta Concilij Tridentini decretum, vocis actiuæ, ac passiuæ eo ipso priuationem incurrat; ac præterea in carcerem per duos menses sine vlla dispensatione includatur.

Cap. IIII. De Oratione mentali.

1 CVm instituti nostri potior pars sit contemplatio, ad quam per continuam Dei præsentiam, & statas, quotidianasq. orationis horas tendendum est; decernimus, vt singulis diebus, ante, vel post Primam, per vnam horam; & pariter ante, vel post Completorium (pro temporum discrimine, vt in ordinario traditur) per vnam similiter horam, fiat mentalis oratio.

2 Fiet autem vulgò communis oratio in Choro, vel in alio ad quietem commodiore loco, qui nec obscurus, nec nimia luce illustratus sit; in quem postquam Fratres conuenerint, præmissa Antiphona Veni sancte Spiritus

ritus, & oratione, Deus qui corda fidelium &c. legetur aliquid ex designato piarum meditationum libro, quod præbeat materiam meditandi, peractaque lectione vsque ad finem horę silentes orabunt.

3 Hora verò ab ingressu elapsa, Præside incipiente, dicant omnes Antiphonā Sub tuū præsidiū, Præsesq; subiungat orationes, Protege Dñe, Ecclesiæ tuæ, Deus virtutum, Deus venię largitor, Prætende Domine: quibus interdum poterit adiungi alia de venia Superioris, ac in hunc modum absoluatur oratio.

4 Curet autem Superior, vt inter Fratres non choristas totius noctis horæ distribuantur, vt orationi coram sanctissimo Sacramento vacent, quod si noctu vacare non possunt, communi intersint orationi, uel horis alijs à Superiore ipso designatis orent.

Cap. V. De Officio Diuino.

1 VT perfectius obtemperetur Ecclesiæ, Regulæque nostræ, quę diuini officij debitum à Fratribus clericis requirit; præcipimus ut audito primo quarumuis Horarum Canonicarum signo, Fratres ab alijs operibus desistant, & ante ultimum signum ad locum designatum celeriter conueniant, ac inde ad Chorum, psalmum pro loci distantia alternatim dicentes, incessu graui, modeste accedāt,

ibique diuinum officium simplici uoce, uno, parique sono Ecclesiæ Romanæ more, juxta litteras Sixti V religiose persoluant.

2 Horæ matutinæ semper media nocte dicantur, nisi obstet urgens necessitas, quæ quam rarissimè admittatur. Cum uerò ex tali necessitate, nocte media intermittuntur, ita prorogentur, ut ante horam orationis manè solitam recitētur, & statim solita fiat oratio; præterquam in Octaua Corporis Christi, in qua Ecclesiæ consuetudinem Fratres nostri poterunt obseruare.

3 Completorium in crepusculo, scilicet cum ad Salutationem Angelicam communiter pulsatur, semper recitabitur, nisi aliqua iusta causa prorogari, uel anticipari debere persuadeat.

4 Reliquæ Horæ Canonicæ à Fratribus loco, & tempore, modoque in Ordinario præscriptis pro diuersitate solemnitatum, sedatè dicentur.

5 In omnibus Cœnobijs diebus Dominicis, ac festis primæ, & secundæ classis, ac festiuitatibus Domini, & Beatissimę Virginis, & in festis de pręcepto anni totius, in festis quoque consuetudinis, quæ uim præcepti habeat, & in Sanctorum Religionis nostræ solemnitatibus Missa cantetur. In Sabbathis uero totius anni, iuxta modum in Ordinario præscriptum, Missa cantabitur, Antiphonaque

Salue

Salue Regina in Sabbathis, & in uigilijs omnibus Beatissimæ Virginis canetur. Litaniæ quoque Beatissimæ Virginis post Vesperas, & in Quadragesima post quietem meridianam in Choro recitentur.

6 Fratres non choristæ precum suarum debitum ex Regulæ præscripto soluant, festisque diebus maiori Missę, ac Horis Vespertinis intersint.

Cap. VI. De sacris Confessionibus.

1 SAcramento pœnitentiæ cum intima culparum etiam leuium detestatione, nostri Fratres frequenter utantur, ut maiorem fructum percipiant.

2 Expedit autem ad huiusmodi fructum percipiendum designatos habere Confessarios. Quapropter statuimus primum vt Fratribus professis non sacerdotibus, duos, & vbi opus esse videbitur, plures ordinarios Confessarios à Prouinciali approbatos, Superior quisque designet, quibus tantum Fratres illi confiteantur. Extra quos Superior, cùm expedire iudicauerit, poterit concedere, vt alicui Patri è Conuentu, etiam à Prouinciali non approbato, Fratres confiteri possint: quod & raro concedet, & ad vnamquamque confessionem sigillatim veniam dabit.

3 Ij verò, qui à Prouinciali ad confessio-

nes

nes audiendas Fratrum, veniam obtinuerint, in Conuentibus, quorum conuentuales sunt, sine Priorum expresso consensu ea fungi nequeant. Poteritque Prior, cum id in Domino expedire crediderit, ab ea functione suspendere Confessarios.

4 Si vero quis ex prædictis Confessarijs sine Prioris expresso consensu alterius Religiosi confessionem audierit, quamuis confessio valida sit, vterque tamen graui pœna puniatur. Quam etiam pœnam feret, omnis siue conuentualis, siue hospes, qui Confessarium è nostris nactus alicui extraneo confitebitur; etsi ad hoc Conuentus Superior ordinarius, licet in euentu rarò, veniam dare possit.

5 Fratres nostri hospites, dum per Conuentus nostræ Congregationis transeunt, vel ibi hospitantur; Fratres item nostri omnes iter agentes cuilibet è nostris Sacerdotibus ad confessiones audiendas in Congregatione nostra approbatis, aut approbatis deficientibus, cuilibet simplici Sacerdoti nostro possint confiteri sine alia venia quorumuis Superiorum nostrorum.

6 Quando tamen nostri Fratres iter agentes, copiam Confessarij è nostris non habent, aut iusta de causa extra Conuentum manentes cõmodè nostris cõfiteri nõ possũt, Cõfessario externo, vel Religioso, vel sęculari, si adsit, secus verò simplici Sacerdoti cõfiteri poterũt.

7 Declaramus autem Sacerdotes nostræ Congregationis, qui Generalis, vel Prouincialis, vel Prioris respectiuè, vel alias iuxta nostras Constitutiones licentiam ad confessiones audiendas non habent, non posse confessiones etiam Sacerdotum nostrorum audire, talesque confessiones nullas esse: et si quod esset priuilegium, vel consuetudo in contrarium, eidem præsenti statuto renunciamus.

8 Confessarij verò sic Fratribus nostris pœnitentię Sacramentum ministrent, vt facultatis suæ modum obseruent, prout in declarationibus expositum est.

9 Vniuersos autem Fratres hortamur in Domino, vt ordinario suo Confessario (quem leui de causa mutare non deberent) bis per hebdomadas singulas confiteantur. Prælatos etiam monemus in Domino, vt ad paternum erga subditos amorem fouendum, illorum confessiones libenter, & si ab eis petatur frequenter audiant: subditosque ipsos, vt Prælato suo crebrò confiteantur, vt is eorum morbos habeat exploratos, & paternis visceribus eos solari, mederique valeat.

Cap. VII. De Eucharistiæ Sacramento.

1 NIhil est, quod ad vnionem diuinam æquè conferat, ac Eucharistiæ frequens, dignaque sumptio. Quamobrem statuimus

vt

vt Fratres nostri tàm nouitij, quàm professi non Sacerdotes omnibus diebus Dominicis, festisque Domini, Beatissimæ Virginis, Angelorum, Apostolorum, Omnium Sanctorum, Ecclesiæ tituli, Patroni Ordinis, aliorumque similium sacram Eucharistiam sumant. Si verò festa nimis frequentia sint, ob Sacramenti venerationem Communio aliqua ad Superioris nutum poterit omitti. Ferijs etiam quintis si intra hebdomadam nullum festum occurrat Fratres nostri Communionem recipiant.

2 Vt verò Fratres tantum Sacramentum quietiùs recipiant, & gratias agant, aliquanto post Primam dictam priuatæ Missæ omnes simul intersint, & Eucharistiam simul recipiant: ijsque diebus de Eucharistia, aut solemnitate occurrente, vel quouis simili collationem spiritualem tempore solitæ recreationis meridianæ habeant.

3 Vniuersi autem Fratres, etiam Sacerdotes, die Cœnæ Domini, de Superioris celebrantis manu sacram Communionem sumant, nisi quis iusta de causa, & de ipsius Superioris venia sacrum eo die fecerit, iuxta morem patrię.

4 Caueant verò Sacerdotes, ne Missæ celebrationem, nisi ex morbo, aut graui necessitate, ac de Superioris concessu vllo die prætermittant.

Cap. VIII. De Examine conscientiæ, ac Disciplina.

1 PVrgandæ conscientiæ studium ijs, qui ad contemplanda diuina purgatos cordis oculos habere cupiunt, valde necessarium est. Quapropter Fratres nostri conscientiæ mundandæ curam gerant.

2 Primùm quidem signo prandij dato, omnes in Chorum conueniant, genibusque flexis per octauam ferè horæ partem suas examinẽt conscientias, signoque surgendi dato, dicentes psalmum De profundis, ad refectorium ordinate procedant.

3 Deinde antequam cubitum eant, ad eundem modum conuenientes, conscientiam singuli suam examinent. Qui autem in Chorum ire nequiuerit, vbicumque fuerit examen eiusmodi faciat.

4 Vt verò culpas quas Fratres per examen quotidianum in se ipsis agnoscunt, pœnitentiæ vindicta deleant; & pro Ecclesiæ pace, perfectione, & ampliatione Deum exorent; præcipimus, vt per totius anni cursum tribus in hebdomada diebus, feria nimirum secunda, quarta, & sexta, quandiu psalmus Miserere mei cantabitur, singuli Fratres se ipsos in commune verberent: psalmo vero absoluto, dicent Antiphonam Christus factus est pro nobis obediens &c. Præsesq; subiunget Orationes

tiones Respice, Protege, Ecclesiæ tuæ, Fidelium Deus, Prętende Domine; datoque signo cessabunt. In hebdomada verò maiore tribus cōtinuis diebus, scilicet feria quarta, quinta, & sexta, ad Christi passionem celebrandam flagellabunt se in communi Fratres nostri, quandiu psalmus Miserere ter cantabitur.

5 Ab ordinaria tamen disciplinæ lege in prefatis ferijs occurrentis dies festi Natiuitatis, feria secunda Resurrectionis, & Pentecostes excipiuntur; sed si in prædictis ferijs, secunda, quarta, & sexta, Vigilia Natiuitatis Christi, Circumcisio, Epiphania, aliaque similia festa inciderint, pridie illorum dierum se Fratres verberabunt; nisi fuerit Dominica, quia tunc Sabbatho fiet.

Cap. IX. De Ieiunio, & mensæ frugalitate.

1 CVm ieiunij fructus, quo mens alitur vberrimus sit, æquum est Fratres nostros de prouentu maiore cogitantes, Ecclesiasticis ieiunijs, quæ alijs communia sunt, alia plura, & longiora subiungere.

2 Quapropter, præter diuturnum illud, quod iuxta Regulam ab inclusa Exaltatione Crucis vsque ad Pascha obseruatur, ieiunabunt Fratres nostri omnibus Vigilijs Beatissimæ Virginis, & in Vigilia Corporis Christi, die sancti Marci, nisi Dominica fuerit, & tribus

bus Rogationum diebus,ac vniuersis sextis feriis anni totius,ita vt in Quadragesima, Aduentu, & Vigilijs Beatissimæ Virginis quadragesimali victu, iuxta Patriæ morem,vtantur: reliquis vero diebus lacteis cibis, & ouis vesci possint.

3 In communi autem victu frugalitatem commendamus, ita vt quamuis domus quauis ex causa bonis affluat, non ob id solito hucusque victui Prælatus quippiam nouum apponat: sed necessarijs prouidè ministratis, temperantiæ virtutem colat: si autem in hoc genere deliquerit,ad nutum Præpositi puniatur.

4 Si vero (quod euenire solet) Fratribus aliquid defuerit, meminerint se paupertatem Christi profiteri, & intime gaudeant, oblato tantæ virtutis exercitio.

5 Ex ijs ergo, quæ ad Conuentus nostros Christiana charitas miserit,in refectorio (extra quod raro, & admodum iusta de causa Superiores vescantur, vel subditos vesci sinant)æquales partes omnibus ministrentur, nullique vnquam diuersum aliquid,vel diuersè conditum absque necessitate,& Superioris expressa venia detur. Superior verò contra facienti,sicut extra mensam,tempusque commune comedenti pœnam mediam imponet.

6 Sedulò curet Superior vt omnes ad primam mensam conueniant; extraneos verò

præ-

præsertim sæculares admodùm raró, & cautè ad communem mensam introducat. Nemini autem cuiusuis conditionis carnes vllo prætextu in refectorio apponantur, neque extra, nisi infirmis: similiter non apponantur etiam hospitibus alterius Religionis, immò neque sæcularibus.

7 Si quis ad vrbem, oppidumvè, vbi Conuentum habemus, è claustro exierit, nullam escam ibi sumat, nisi raró, & ex graui necessitate, ac de Superioris expressa venia. Superior vero transgressori grauem pœnam imponat.

8 Carnibus autem extra claustra, nec subditi, nec Superiores vescantur, nisi ægrotantes, habitaq; Prælatorum venia, quam secum è Monasterijs scriptam ferant. Qui verò in hòc deliquerit, grauem pœnam per duos dies intercalatos ferat.

9 Hortamur autem Fratres nostros extra claustra iusta de causa vescentes, ne facile vtantur indulgentia Regulæ, quæ pulmenta cum carnibus cocta permittit, ne sint hospitibus onerosi, quod efficient, si leui de causa non credant se fore hospitibus onerosos.

Cap. X. De Fratrum indumentis.

1 VEstium asperitas, & ruditas viros Apostolicos decet.

2 Sint ergo vestimenta Fratrum nostrorum

rum clericorum ex rudiori panno eiusdem in omnibus formę, & coloris grisij, præter pallium, & præter interiorem tunicam, & subligacula, quæ alba erunt.

3 Habitus vsque ad tres ferè digitos à solo sit longus, cuius inferior circuitus duodecim, vel pro corporis quantitate, quatuordecim palmorum latitudinem non excedat, manicæ duorum palmorum breuium ambitum, habentes ad manus medias pertingant.

4 Scapularis latitudo palmum vnum, ac dimidium non excedat, longitudo palmum vnum à solo desinat.

5 Caputium grisium, & album capitis formæ respondeāt, & nullum in occipitio cacumen habeant, quorum latitudo qua parte, super humeros cadit sit paulo extensior scapularis latitudine, & à tergo altiùs zona digitos quatuor in acumen desinat.

6 Zona sit coriacea, & nigra, duos digitos lata, quæ rudi fibula ferrea, vel ossea stringatur, & circiter palmum à solo desinat.

7 Pallium palmo vno altius scapulari desinat, cuius latitudo corpori ita respondeat, vt neque nimis angustum, neque amplum sit.

8 Tunica exterior, (quæ indigentibus concedi poterit) sit eiusdem coloris, cum habitu, supernè stricta, inferne latior, & habitu aliquanto breuior,

9 Tunica interior lanea sit è tenuiore,

C stamine,

ſtamine, quàm exterior, & altius terra palmos duos deſinat.

10 Subligacula ex rudi tela linea fiant, quæ ob pudorem, nunquam exuantur, & ſub genua deſinant.

11 Sudariola ad emungendas nares lanea ſint, colore habitui ſimilia, vel ex eo, & albo mixta.

12 Sandalia ſint coriacea, quæ quibuſdam corij particulis, velut brachijs, latitudinis quaſi digiti vnius calcaneo, & medio pedi ſoleas aſtringant, & quoad cętera, pedes nudos oſtendant: quæ duas, vel tres tantum ſoleas habere præcipimus.

13 Hæc Fratribus choriſtis erunt communia. Tonſura vero ita fiat, vt corona, ſeu clerica tres circiter digitos ſit lata, & ſuper aurium ſummitatem deſinat. Barba vltra dimidium digitum latum non nutriatur.

14 Nouitij ijſdem veſtibus induantur, ſed ad profeſſorum diſcrimen, è deſinente à tergo caputio appenſam rudis panni oram gerant.

15 Fratres verò Donati pallio, cæteriſque veſtibus eiuſdem cum habitu noſtro griſij coloris ſine caputio vtantur, eorumque habitus palmum dimidium à ſolo deſinat.

16 Prior veſtes alias, aut alterius formæ vltra præſcriptas non permittet. Si vero contrafecerit, ipſe, ac is, cui licentiam conceſſerit, graui pœna puniatur. Non tamen pro-

pterea

pterea charitatem erga ægrotantes, & debiles volumus diminui, quibus omnia necessaria ministrari præcipimus, ita tamen, vt paupertati congruant.

17 Fratres dum cubant, scapulari paruo vtantur, quod saltem duobus palmis sit longum, & vno latum, quo simul & tunica interiore accincti dormient. Qui autem in hoc defecerit pœnam mediam feret, sed qui tunica interiori exutus dormierit, graui pœna punietur.

18 Animaduertant verò Fratres, palmum, quo in hoc capite vsi sumus, nō esse eum, quo ædificia metimur, sed breuiorem alium, cuius mensura ad Constitutionum calcem describetur.

19 Denique nullus sanus, vel æger suum habitum, hoc est scapulare exuat, sed ægrotantibus tenuius permittetur.

Cap. XI. De Silentio.

1 CVm linguæ licentia instituti nostri partem potiorem, qua mens tacita Deo vacat, grauiter lædat: Fratres nostri sint tardi ad loquendum, temporaque distinguant.

2 Quando enim silentium illud sanctum colitur, quod iuxta Regulam, à Completorio vsque ad proximi diei Primam dictam extenditur, verba omnia, quæ sine detrimento in

tempus silentij non adeo stricti differri possunt, sub pœna media prohibemus.

3 Reliquo vero diei tempore, licet nō præcipiamus adeo strictè silentiū coli, valde tamen illud commendamus. Propterea præcipimus, vt nullus Fratrū cum alio seu Religioso, seu sæculari ex professo loquatur, nisi de expressa Superioris venia, & tūc voce submissa.

4 In Choro autem, Claustro, Dormitorio, Refectorio, & Cellis, quæ loca sanctiora sunt religiosius Fratres silentium obseruent.

5 Verba omnia otiosa, non tantum noxia Fratres nostri accuratè vitent, & ex more Sanctorum de pijs rebus, iuxta oblatas sibi occasiones, sermonem instituant. Sæculares autem, cum quibus agent, pijs sententijs ad rem prudenter accommodatis, semper ad pietatatem hortari conentur. Qui vero in prędictis occasionibus inter Religiosos contrafecerit leui pœna, qui autē inter sæculares media puniatur, & præterea Superior abstrahat eū ab occasionibus cū sęcularibus colloquēdi.

6 Fratres nostri inter sę amanter valde, suauiterq; loquantur, qua in re si defecerint, pro culpæ modo pœnam ferant.

7 Cum vero in commune opus aliquod efficiunt, vel sileant, vel psalmos recitent, vel etiam de diuinis rebus verba faciant, aut denique alijs audientibus, pium aliquid vnus è libro legat, ne Regulæ nos in silentio opera-

ri præcipientis, spiritum extinguant.

Cap. XII. De otio vitando, & cellarum recessu.

1 VT Regulæ nostræ otium vitandum grauiter monentis sensum obseruemus, præcipimus, vt nullus Superior Fratres in Claustro otiosos esse permittat; sed curet, vt omnes intra, vel extra cellas vtiliter occupentur; singulisque spiritualia, vel corporalia exercitia, prout expedire in Domino putauerit, præscribat.

2 Cum verò Regula præcipiat, vt maneāt singuli in cellulis suis, præcipimus Superioribus, vt Fratres duos in cella vna manere non patiantur. Non solum autem Fratres nostros, singulos in cellulis suis manere, sed neque nocte, neque die alterum in alterius cellam ingredi posse decernimus, contra verò facientes die, mediam pœnam, nocte verò grauem ferant. Qui verò quouis tempore Superioris absentis cellam ingreditur grauem pœnam semper incurrat.

3 Ne quis autem Regulæ verba ad otiosum egressum detorqueat; declaramus ea verba (iuxta eas) vbi præcipit singulos in cellulis suis, vel iuxta eas manere; de illis cellulis aperte intelligi, quæ olim, & nunc alicubi separatæ construuntur, iuxta descriptionem

habitationis eremiticæ postmodum tradendam, non verò de Claustri cellis, inter quas nihil est interualli.

4 Quamobrem nullo tempore liceat vlli in nostris Conuentibus degenti, extra cellas ex professo manere, vel deambulare, nisi de Prioris expressa venia. Quòd multo arctius obseruandum est à Completorio expleto. Tūc enim Fratres statim in cellas suas se recipere festinabunt, è quibus nisi ad necessaria naturæ, aut sine Superioris venia non exibunt. In cellas autem ingressi à quouis strepitu abstineant, qui à proximis cellis possit audiri.

Cap. XIII. De modo quoad exitum è Claustro.

1 IN Regula nostra grauiter decretum est, vt semper in cellis Fratres nostri perseuerēt, nisi alijs iustis occasionibus occupentur.

2 Quia verò eiusmodi iustæ occasiones plures, quam sint facile finguntur; monemus Fratres nostros, vt parce admodū è Claustro exeant, festis præsertim diebus, quibus domi attentius Deo vacandum est.

3 Vt autem huic rei modus imponatur; statuimus, vt Fratres nostri ad eleemosynas ostiatim mendicandas nunquam foras egrediantur (licet hoc per Donatos fieri non prohibeamus) neque etiam exeant ad mortuos

tuos sepeliendos, neque ad processiones publicas, nisi in terris infidelium, vel vbi hæreses grassantur, quando peculiarior ibi aliqua necessitas vrget.

4 Ad confessiones vero audiendas, & iuuandos morti proximos, aliaq; similia pietatis officia, Fratres nostri vocati prodire valeant; ita tamen, vt recessus curam exactam gerant, neque propter iuuandos morti proximos (quantum per ipsos fieri poterit) extra Claustra pernoctent. Quod si omnino pernoctandũ sit, venia Superioris prius impetretur.

5 Nullus è nostris Fratribus subditus, aut Superior etiam confessionis, aut prædicationis gratia ad Monasterium aliquod Monialiũ accedat, nisi earum Superior id petat; & tunc fiat de Prioris expressa venia, sub vocis, ac loci priuatione ipso facto incurrenda. Nullus è nostris Fratribus esse possit ordinarius Confessarius Monialium aliorum ordinum.

6 Nullus præterea è nostris extra Conuentum habitare sinatur, etiam vt alicui Cardinali, vel Principi sit à sacris confessionibus.

7 Prior, & Procurator, quorum exitu, & labore cæteri Fratres intra Claustra perseuerant, ad expedienda negotia iusta ex causa egrediantur. Hortamur autem illos vt (si fieri possit) negotia omnia in vnum, duosuè dies hebdomadę conferant, quibus ea prodeuntes expediant. Quia vero externa negotia pie-

tatis intuitu ſuſcepta, obſeruationem Regulæ noſtræ receſſum tam seriò præſcribentis frequenti exitu eneruare poſſent; præcipimus, vt Fratres noſtri, tam Superiores, quam ſubditi, iuxta conſilium Apoſtoli aientis: Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſęcularibus: ab ſæculi negotijs, etiam pietatis obtentu gerendis, accuratiſſimè abſtineant, niſi charitate chriſtiana cogi videantur: neque Superiores, vel ſubditi admittant alicuius negotij expeditionem, etiam pietatis prætextu, ad quam è Clauſtro ſæpe prodire ſit neceſſarium, ſub pœna de illis pro culpæ modo ſumenda. Alij vero Fratres præter ſupradictos, & hoſpites, niſi ſubſit iuſta cauſa, raro valdè admittenda, puta pietatis, aut ſanitatis, & tunc re quoque bene penſata, & primo Diſcreto conſulto, à Superiore foras non mittantur.

8 Fratres domo exeuntes, ac redeuntes coram Sacramento, vel alio ad id deſignato loco breuiter orent, vt Deus illorum exitum, introitumque cuſtodiat, & Superioris benedictionem flexis genibus poſcant; nullus autem è noſtris etiam hoſpes, Clauſtro ſine Superioris venia egrediatur, ſub graui pœna.

9 Qui domo ad aliquid deſignatum exit, nihil aliud efficiat, niſi quid neceſſarium ſe offerat, quod ſimul ac domum peruenerit, Superiori aperiat; quod etiam obſeruent iter agentes, ſub graui pœna.

Priore

10 Priore, aut Vicario foras egresso, qui domui præest, nec exire, nec exeundi veniā alijs, quā Procuratori ad negotia expedienda, aut Prædicatori ad concionandū, & Confessarijs ad infirmos audiendos egressuris dare poterit. At si necessitas vrgeat, vt ipse, vel alius exeat, ex consilio, & consensu trium Fratrum antiquiorum id fiat.

11 Prior, nec exire, nec alteri veniam exeundi dare possit vltra triginta italica milliaria, & cum sic exierint, facultatem scriptā, & obsignatam secum ferant, quam etiam non petitam Priori, aut Presidenti aliorum Conuentuum statim, ac peruenerint, ostendant. Nullusque sine socio, nisi ex iusta admodum causa iter agere sinatur, binos enim Dominus Apostolos misit. Bini ergo exeūtes indiuidue procedant, semperq; antiquior in itinere præsideat, nisi iusta de causa Prior aliud decreuerit.

12 Dent operā Fratres nostri, vt omnibus, cum quibus extra Claustra conuersantur, bonum exemplum præbeant, & eos ad pietatem hortari, solari, ac Deo lucrari curent. Quod si quis contrafecerit, ac in itinere grauiter deliquerit à viciniore Priore, vel Præside puniatur.

13 Nullus Frater intra vrbes, oppidavè nisi ob necessitatē Superioris arbitrio declarādā curru, lectica, vel sella gestatoria vehatur.

Vni-

14 Vniuersi Fratres pedites iter agant, si vero necessitas aliud postulet, Prępositus, Prouincialis, Prior, aut Præsidens, expensis, collatisque circumstantijs (vnusquisque prout ei per Constitutiones conceditur) dispensabunt. Qui autem ex necessitate pedes ire nequiuerit, veniam equitandi secum ferat, & iuxta morem Patriæ humiliter vehi curet.

15 Ferant secum Fratres nostri in alia loca euntes litteras patentes, in quibus exprimatur cuius Cœnobij conuentuales sint. Qua in re ne aliquod dubium oriatur, declaramus ex quo intimantur eiusmodi litteræ, cum expressione conuentualitatis, quemlibet Religiosum incipere esse conuentualem illius Cœnobij, quod ei assignatur, & desinere esse conuentualem cuiuslibet alterius.

16 Monemus autem eos, qui pedites incedent, vt semper curent eleemosynas mendicare; eos verò qui ex necessitate equitabunt ita se gerere, vt paupertatem, quam Deo vouerunt, præ se ferant.

17 Nemo è Conuentu, sub prætextu Superiores suos adeundi, quauis iusta de causa egrediatur, sine venia eius, quem adire voluerit, sub pœna pro culpæ modo ei imponenda.

Cap. XIV. De vita communi, ac regulari.

1 VT inter nos more nascentis Ecclesiæ, sit

cor

cor vnum, & anima vna res etiam externas, & actus oportet esse communes.

2 Vt autem omnibus pateat, quid sit vita communis, declaramus, communem vitam esse, cum ex communibus officinis res necessariæ, Superioris concessu, singulis ad vsum tribuuntur: nec priuatim aliquis quicquam possidet, sed statim, ac eo, quo vtebatur non indiget, in communes officinas refert.

3 Hanc ergo communis vitę rationem, vniuersi tam Pręlati, quam subditi perfectè sequantur, non personarum, sed solius necessitatis modum attendentes.

4 Quia vero communis vitæ ratio, regulari vitæ, iuxta nostrum institutum coniungi debet, præcipimus; vt nullus Prælatus extra ordinem negotijs, quamuis pijs, ipsi etiam prædicationi adeò incumbat, vt non possit quotidianis actibus vitæ regularis, maiori saltem ex parte interesse.

5 Denique, vt nec in sermone inter nos aliquid singulare sit, prohibemus Fratribus nostris quemcumq; Doctorum, seu Magistrorum, aut cuiusuis alterius nominis gradum accipere, vel ob id vlla exceptione gaudere, aut eiusmodi nominibus appellari.

6 Soli & omnes Sacerdotes vocentur Patres, qui vsitato nomine (Vestra Reuerentia) appellabuntur, reliqui autem Religiosi vocentur Fratres, qui (Charitas Vestra) ex more dican-

cantur, nullusque Frater alium quemuis, etiã Præpositum, Reuerendissimi Patris, vel Vestræ Paternitatis titulo appellet, sub pœna media. In communi vero Tabula officiorum, humilia quæque, etiam Superioribus iniungantur, ne quid, vel ad charitatem, vel ad humilitatem desideretur.

Cap. XV. De ordine, ac sedibus Fratrum.

1 ETsi primos accubitus non amare, ac in nouissimo loco sedere Christi consilium sit, quod per affectum quisque amplecti debet, externè tamen ad tuendum decorem domus Dei subsequens discrimen sedium extra Capituli, & Definitorij tempora obseruandum est.

2 Primo igitur totius Congregationis loco sedebit Præpositus, qui officio suo expleto nulla prærogatiua gaudebit, sed pro suæ professionis antiquitate sedebit inter alios.

3 Secundus locus erit Prouincialis in sua Prouincia, tertius erit Prioris vniuscuiusque in suo Conuentu: quem quarto loco sequentur Definitores generales pro suorum officiorum serie. Mox Procurator generalis, deinde Prouinciales alij, postea Priores hospites, qui ibi forte aderunt, pro suarum domorum antiquitate, exinde Vicarius, vel Supprior, post quem immediate sedebunt Suppriores hospites, eo ordine, quo de Prioribus dictum est.

est. Postea Sacerdotes professi iuxta antiquitatē professionis, deinde Fratres clerici professi sacris initiati, ita vt Diaconus Subdiaconum antecedat, & inter initiatos eisdem sacris antiquior professione sit loco prior. Post hos Fratres clerici sacris non insigniti secundum professionis antiquitatem, qui omnes si fuerint professione æquales, præcedat ætate prouectior. Postea Nouitij clerici, inter quos si quis fuerit Sacerdos, vel sacris initiatus respectiue ceteros nouitios præcedat. Postmodum Fratres non clerici pro discrimine antiquitatis.

Cap. XVI. De honesta Fratrū recreatione.

1 IVxta disciplinam sanctorum Patrum, qui laborem intermittere consueuerunt, vt diutius laborarent; præcipimus, vt quotidie statim à prandio in opportunum aliquem locum Fratres omnes conueniant, & ibi per vnam horā mutua charitate simul læti permaneant, vbi de rebus spiritualibus, ac honestis iuxta Instructiones loquantur, & ordinariè ijs, quę in commune dicuntur attendant.

2 Per omne ieiuniorum nostrorum tempus à Regula præfixum, vespertina recreatio non sit, præterquam in studiorum Conuentibus ijs diebus, quibus conclusiones defenduntur. At Superior facilè det veniam, & cum expedire

vide-

videbitur,præcipiat, festis præsertim diebus, vt Fratres absoluto vespertino officio, ante Completorium à labore aliquantum simul recreentur. Eo verò tempore, quo ex Regula nō ieiunatur, Vesperi Fratres aliquantum recreentur, ita tamen, vt Completorium in crepusculo, idest cum pulsatur signum Salutationis Angelicæ, dicatur.

3 Nouitij cum ipsorum Magistro, vel alio illius vices gerente, seorsum in loco recreationis conuenient, nisi cum Prior aliter decreuerit.

4 Singulis annis quater, vel sexies vt plurimum, omnes Conuentus Fratres foras exire possint. Caueat autem Superior, ne Conuentus debita custodia destituatur.

5 Sæculares vero à nostris recreationibus absint, nisi necessitas ineuitabilis aliud requirat.

Cap. XVII. De suffragijs pro Defunctis.

1 Sint Fratres nostri ad pœnas animarum, quæ igne Purgatorio torquentur, leniendas admodū misericordes, statimq; ac Frater aliquis obierit, Prior Prouincialem, ipse verò prouinciæ suæ Priores, ac Præpositum, Præpositus verò Congregationem confestim moneat, vt pro eo subiecta suffragia fiant.

2 Pro vnoquoque Religioso professo in eo Con-

Conuentu vbi interierit officium sepulturæ, & officium integrum Defunctorum cum Vesperis, & Missa cantabitur: in alijs verò omnibus Conuentibus suæ Prouinciæ canetur Missa, & officium integrum recitabitur. Insuper quilibet Sacerdos domus in qua decessit, tres Missas pro eo dicet, vnam vero omnes alij Sacerdotes omnium Conuentuum illius Prouinciæ. Præterea in alijs totius Congregationis Prouincijs, in quolibet Conuentu vna Missa conuentualis cantabitur, & recitabuntur Vesperæ, & vnum nocturnum Defunctorum. Fratres verò choristæ tam eiusdem Monasterij, quam totius Prouinciæ vnum integrum officium Defunctorum, Fratres vero non clerici eiusdem prouinciæ vnum integrum Rosarium, reliqui autem totius Congregationis Sacerdotes tertiam partem Rosarij recitabunt. Pro patre vero Præposito in tota Congregatione dupla suffragia fiant, & officium Defunctorum vbique cantabitur. Pro patribus vero Definitoribus generalibus, & Procuratore generali in tota Congregatione, pro patribus Prouincialibus in sua prouincia, & pro Prioribus in suo Conuentu, præter illa, quæ pro cæteris Fratribus dicuntur, Missa vna priuata à Sacerdotibus singulis, vnum officium Defunctorum integrum à singulis choristis, & Rosarium integrum à non choristis recitentur.

Cum obierit Frater aliquis professus non cho

rista pro eo eadem, quæ pro cæteris Religiosis professis suffragia fiant. At pro Nouitio quouis siue clerico, siue non chorista, die obitus fiant suffragia in eo loco, vbi decedit, ęquè ac pro quolibet professo.

3 In quolibet Monasterio vniuscuiusque Prouincię Monialium nostrarum canetur Missa vna conuentualis, & recitabitur vnum officium integrum Defunctorum pro quouis Fratre nostro in ea Prouincia obeunte, laicæ vero Moniales tres partes Rosarij recitent. Fratres vero nostri in quolibet Conuentu illius Prouinciæ pro Moniali decedente vnam Missam conuentualem canant, vnumque nocturnum Defunctorum cum laudibus recitent. In Conuentu autem, à quo Monialibus nostris Sacramentum pœnitentiæ ministratur, quilibet Sacerdos pro singulis Monialibus eius vrbis, aut oppidi Missam vnam priuatam faciet.

4 Simul ac obitus D. N. Papæ, ac Illustrissimi Protectoris scietur exequiarum solemnium officium pro eis in Monasterijs omnibus totius Congregationis fiat.

5 Feria secunda per integrum annum fiat sacrum pro Defunctis nostris, scilicet, pro quo nulla eleemosyna recipiatur, & (excepto Paschali tempore) Vesperæ Defunctorum (præterquam in festis de præcepto, & quę solemniter celebrantur in Congregatione) post illius diei Vesperas recitentur.

Tri-

6 Tribus præterea anni temporibus, inter octauam scilicet Epiphaniæ, & Purificationẽ, inter octauam Resurrectionis, & Ascensionẽ, inter octauam sancti Michaelis, & festum Omnium Sanctorum fiat commemoratio pro Defunctis, ita vt singulis illorum trium temporũ recitetur triplex officium integrum Defunctorum, & tres Missæ cantentur.

7 Quæ quidem suffragia pro Fratrum nostrorum animabus; pro eorumdem Fratrum consanguineis, affinibus, amicis; pro ijs, qui in nostris Monasterijs sepulti iacent; pro benefactoribus, & sæcularibus, qui fraternitatis litteras habuerunt, exoluenda sunt; quæ statim primis trium designatorum temporum diebus omnino fiant.

8 Sit locus à sæcularium sepulchris separatus, vbi Fratres nostri sepeliantur; sit etiam liber in quo defuncti Fratres scribantur, vbi is, cui rem Superior commiserit, annotet nationes, & nomina, subijciatque compendium virtutum eorum, qui sanctitate claruerunt, vt posteri ad virtutis æmulationem excitentur.

9 Nulli sæcularium Capella, vel peculiare sepulchrum sine Præpositi, vel Prouincialis venia detur. Quòd si Præpositus, vel Prouincialis consuli nequeat, id fiat de cõsensu Conuentus. In communi verò sepultura, de consensu Conuentus poterunt sæculares sepeliri.

10 At pauperes aliàs sepultura cārituri

D in

in nostris Ecclesijs sepeliri poterunt. De quarta vero funerali nulla cum Parochis controuersia sit, sed libenter eis Fratres nostri pacis amore cedant.

Cap. XVIII. De Charitate erga infirmos.

1 CHaritas ad consolandos solatio destitutos propensa est. Quare nauent operam Fratres nostri, vt & consilio, & obsequio ęgros consolentur: & Superiores de spirituali, corporalique ægrotantium remedio singularem curam gerant.

2 Vt autem expurgata conscientia morbi labor sit fructuosior, statuimus, vt statim, ac Frater aliquis in morbum inciderit, confiteatur, & sacram Eucharistiam recipiat: deinde vbi ex morbo non periculoso, sed longo decumbit, per hebdomadas singulas semel saltem confiteatur, & sacram Eucharistiam recipiat: imminente verò periculo Eucharistiã (quantum pro Sacramenti reuerentia licebit) frequenter sumat.

3 Prior Fratribus ægris Fratrem aliquem, vt eis ministret, probum, sedulum, moribusq. suauem designabit, qui eos quasi nutrix, fouere, solarique possit, & tam ipse Prior, quam Procurator omnia à Medicis præscripta diligenter prouidebunt. Quorum incuria, si quis ægrotus periclitetur, seuerè pro

culpæ

culpæ modo puniantur.

4 In eo Monasterio, vbi Frater aliquis in morbum inciderit, maneat, quousque conualescat, nisi Prepositus, vel Prouincialis aliud præceperit. In ædibus vero sæcularium etiam consanguineorum, neque curentur ægri Fratres, neque conualescant, nisi adeo grauis instet necessitas, vt iuxta consilium Medicorum cælum mutari debeat. Quo in casu solummodo Frater aliquis infirmus de cõsensu Prioris, ac Discretorum poterit extra Claustrũ mitti.

5 Dent operam Superiores, vt in quouis Conuentu Valetudinarium construatur, vbi sint Fratres ægroti, & admodum debiles, extra quod Fratres decumbentes vltra triduum manere non permittant, sed illuc deferri præcipiant, quotidieque ibi (si commodè fieri potest) ægroti omnes Sacrum audiant.

6 Prior ipse quotidie Fratres decumbentes paternis visceribus visitet, aut impeditus alteri id officium committat, & animaduertat qua charitate illis inseruiatur. Singularem quoq; curam gerat de victu eorum, qui, vt conualescant, in refectoriolo carnibus vescuntur.

7 Aegri vero Fratres nostri, si quid eis, (vt solet ad experimentum patientiæ, ac meriti augmentum) defuerit meminerint se Christi paupertatem spontè quęsisse, ac nolint sibi, quasi diuitibus ministrari.

Cap. XIX. De Hospitalitate.

1 HOspitalitas merito colenda est ab ijs, qui charitatem profitentur: charitas enim non querit quæ sua sunt, sed quæ aliorũ. Vniuersi ergo Conuentuum nostrorum Superiores, cum expedire in Domino censuerint, hospitales sint erga omnes, sed potissimum erga Religiosos alios inopes, à quibus si noti non sint, Ianitor litteras patentes prudenter petat, & ad Superiorem deferat.

2 Erga Fratres vero nostros præsertim hospitalitatem exerceant, & aperta charitatis significatione eis sine vlla exceptione necessaria prouideant, sub pœna graui. Qua etiã pœna puniantur, qui cum ad Conuentum peruenire tempestiuè possunt in eo loco, vbi Conuentum habemus, apud alios etiam Religiosos vescuntur, vel hospitantur, vel pernoctãt, quæ omnia eis prohibemus. Ijs autem, postquam accesserint ad Conuentum, vt à labore itineris recreentur, licebit per duos dies communibus actibus non interesse.

3 Fratres nostri hospites, quamdiu in alio è nostris Conuentibus manent, quauis de causa nec petant, nec mutuum aliquid accipiant, sine Superioris loci illius scitu, & consensu, sub pœna pro culpæ modo de illis sumenda.

4 Sit Frater aliquis designatus ad excipien-

piendos hospites, moribus suauis, cui tantū loqui, agereque cum hospitibus liceat. Qui præter hunc ex professo cum hospitibus verba fecerit, pœna media puniatur.

5 Pater Procurator generalis Hispaniæ, eiusque Socius, & alij inde missi insigni charitatis significatione in omnibus nostris Conuentibus hospitentur; & quamdiu eis placuerit, commorentur, ac eis seu valentibus, seu ægrotantibus per omnia prouideatur. Quod si præfatus pater Procurator Socio caruerit, socius ei è nostris Fratribus ad sua negotia expedienda promptè semper offeratur.

6 Hospites sæculares, nisi fortè ij sint, qui de Congregatione benemeriti fuerint, in nostris Conuentibus non immorentur. At si eiusmodi sint, detur opera, vt quam breuissimè maneant apud nos, ne illorum gratia aliquid indulgentiæ contra legum obseruationem admittatur.

7 Ad spiritualia verò exercitia sæculares admitti poterunt: ij autem, qui iusto timore grauia pericula fugiunt, vltra tres dies in Conuentibus nostris latere non sinantur, nisi forte grauis necessitas ex charitatis lege ponderanda, aliud requirat.

Cap. XX. De sacris concionibus, & Sacramenti pœnitentiæ ministerio.

1 CAueant Fratres nostri ne (quoad per institutum nostrum licet) proximorum salutem negligere videantur. Propterea præcipimus, vt in omnibus Monasterijs, (exceptis Studiorum, Nouitiatus, & Eremi Conuentibus) si populi concursus sit, Superiores curent diebus festis haberi concionem.

2 Conciones etiam habebunt Fratres nostri ad Confratres Societatis Beatissimæ Virginis, quæ in nostris Conuentibus poterit institui, habita ratione, vt eius exercitia, à nostro instituto aliena non sint.

3 Integra vero Quadragesima extra nostras Ecclesias sine Præpositi, vel Prouincialis venia nullus Frater concionetur, & Præpositus, Prouincialisque Concionatoris extra Conuentum integra Quadragesima permissuri, probitatem considerent. Prædicationis etiam gratia de Præpositi, ac Definitorum generalium; seu Prouincialis, Definitorumq; Prouincialium consensu ob grauem necessitatem instantem per dies aliquot Fratrum missiones fieri poterunt ad loca vltra triginta italica milliaria distantia, quæ verbi Dei necessitate laborant. Sed vt ad tantum onus

Con-

Concionatores se præparare valeant, Superior tempus, quod in Domino necessarium arbitrabitur, eis ad studium, & orationem ab alijs actibus immune concedat.

4 Superiores autem omnes Fratribus nostris concionaturis concedere poterunt, vt per triduum ante concionis diem actibus Chori non intersint. Orationi tamen mentali communi intererunt.

5 Nullus è nostris Concionatoribus, seu Confessarijs ob eas functiones, aut occasione inde accepta eleemosynā petat, ne actiones, quæ omni labe carere debent, in aliquem, nisi solius pietatis quęstum vertantur.

6 Priusquam Concionatores eo fungantur officio in Scriptura sacra, Sanctorumque lectione sint idoneè versati, qui per duos saltē annos Theologiæ Scholasticæ, vel sacris Canonibus operam dederint: semperque solida, & vtilia populo prędicabunt: alias si à Superiore moniti non resipuerint, à Præposito vel Prouinciali eis prædicatio prohibeatur.

7 Vt autem idoneos verbi Dei ministros Religio nostra habere possit, Prępositus, & Prouincialis nemini ad concionandum, aut confessiones Fratrum, vel sæcularium audiendas veniam det, priusquam à Priore, primoq; Discreto, & alio examinatore, quem Conuentus elegerit coram omnibus Capitularibus ri-

gidè examinetur. Quod si is à Capitulo prius quo ad mores, & postea ab examinatoribus quoad scientiam per secreta suffragia approbetur, Prouincialis de re certior fiat, qui postea quid fieri oporteat, deliberabit. Idemque seruata proportione fiat, non modo quoties aliquis Frater primum concionaturus, vel sacras confessiones auditurus est, sed etiam quoties Ordine sacro est initiandus. Nemo confessiones mulierum audiat, qui triginta annos non expleuerit, nisi Prouincialis cum aliquo iustis de causis dispensauerit.

8 Qui pro venia Sacramentum pœnitentiæ ministrandi Ordinarios adierit, facultatem non tantum à Præposito, vel Prouinciali, sed à suo etiam Priore subscriptam ferat.

9 Quo autem Fratres nostri tanti Sacramenti fiant idonei, ac fideles dispensatores, de ratione hoc Sacramentum rectè ministrandi, vno die per hebdomadas singulas hora vna designata mutuo conferant.

Cap.

Cap. XXI. De Capitulo Conuentus, & quotidianæ correptionis charitate.

1 INter charitatis opera primum locum obtinent, quæ comite prudentia non iam ad animos auertendos à culpis grauioribus, sed ad promouendos in altiorem sanctitatem, frequentari solent; cuiusmodi sunt illæ correptiones, quæ ex more Sanctorum in Claustris exercentur.

2 Propterea ordinamus, vt in singulis nostrorum Fratrum Conuentibus, Capitulum per singulas hebdomadas, vt in Regula sancitum est, semel saltem à Priore, Vicario, vel alio ex illorum expressa commissione fiat, in quo de culpis ordinarijs ad Prælati iurisdictionem spectantibus ex charitatis affectu Fratres corripiantur. Si enim alia extraordinaria culpa detegeretur, maturiore consilio remedium à Superiore prouidendum esset.

3 Capitulum mane fiat, qua hora communis oratio fieri deberet. Exhortatio vero vltra dimidiam horam, culparumque correptio vltra dimidiam aliam, pauloue amplius non durabit.

De

4 De vnoquoque Fratre se ad correptionem prosternente, Zelator è patribus Capitularibus per hebdomadas singulas designandus, sincere, ac sine vlla exaggeratione culpas proferat, & statim cæteri Patres iussi à Superiore.

5 Quicumque alium admonuerit culpas omnes ad illum attinentes vno contextu proferat. Ille verò qui corripitur, monitionem humiliter ferat dicatque (mea culpa) & se prosternat, donec dato signo caput eleuet. Dato autem signo, & eleuato capite correptionem genuflexus, & tacitus audiat, nec de se ipso defendendo cogitet, memor Christi, qui accusatus siluit. Si vero de afferenda excusatione à Superiore moneatur, parcè, ac velut coactus illam proferat. Qui secus excusationem attulerit grauem pœnam sustinebit.

6 Si quis à nemine admoneatur, & se ipsum accusare velit se prosternat, & signo dato, caput eleuet, ac genuflexus culpam aperiat, correptionemque libenter audiat.

7 Nullus in Capitulo etiam cum Superiore, nisi iussus, vel petita, impetrataque venia loquatur sub pœna graui. Si quis verò iniuncto ei silentio non statim obedierit, è Capitulo expellatur, pœnamque grauem sustineat.

Quod


8 Quod ad actuum Capituli seriem modumque spectat, ceremoniæ in Ordinario præceptę seruabuntur. Finita vero culparum correptione, Superior interroget Patres, an ad rectam domus gubernationem aliquid fieri expediat; supplex etiam rogabit, vt si quas in eo culpas animaduertant, eum seorsum in cella moneant, vel Patrem aliquem de ijs certiorem faciant, qui postmodum eum admonebit.

9 Solemnissimis anni festis, vel eorum Vigilijs de culparum correptione non agatur; sed Superior, vel alius, cui ab eo iniungetur de festo sermonem habeat. In Epiphania tamen Domini, & in Exaltatione sanctæ Crucis post exhortationem Votorum renouatio; sponsiones autem, & collationes in Exaltatione sanctæ Crucis post prandium fiant, ad cursum ieiuniorum feruenter incipiendum.

10 Singulis præterea diebus (prętet festa valde solemnia, & nonnullas insignium solemnitatum Vigilias, & quatriduum ante Pascha, pridieque diei Capituli Conuentus) Prior, aut Vicarius, & cum illi absunt Supprior, vel de expressa Prioris, vel Vicarij venia alius, surgente Zelatore, ac postquam ei fuerit iussum, leues culpas sincerè proferente, Fratres ex charitate corripiet. Fratres

tres verò singuli, statim ac à Zelatore nominantur, & alij se ipsos accusare volentes, dicentes, mea culpa, se prosternant, & humiliter admonitionem audiant, & pœnitentiam impositam impleant. Illos verò (ne quotidiana correptio molesta fiat) Superior infra octauam circiter horæ partem expediet.

Finis primæ partis.



33